

## Nonnianum.

Nonnum non modo in tota versuum structura leges novas plane atque singulares sequi, sed etiam in exitu versuum certas quasdam particulas et nominum verborumque terminationes solas

admittere notum est. Struvius primus libello de exitu versuum in Nonni carminibus inscripto (Regiom. a. 1834. ed.) docuit terminationes trochaicas nominum poni posse non nisi mobiles sint (mobiles vocat eas, quae stirpi grammaticae, multum illi a naturali stirpe diversae, adhaerent, ita ut *a* mobile sit in *ἄρουρα*, non in *σῶμα*), ideoque solas inveniri in prima declinatione in *a* et *av*, in secunda in *ος*, *ον*, *α*, *οιο*, in tertia in *ος* genit., *ι*, *α*, *ες*, *ας* desinentes; verborum autem terminationes trochaicas nunquam in exitu versuum locum habere. Hanc legem postea Ludwichius (Wissenschaftl. Monatsblätter 1873 p. 176 sq.) artioribus finibus circumscribens demonstravit Nonnum nunquam in clausula formas aut verbales aut nominales posuisse, quae essent proparoxytonae, et nonnullos locos (sunt fere 20), qui tum talem exitum praebant, ex codicibus vel ex ingenio emendavit.

Quae Ludwichii observatio quin recta sit, non dubium est; studet poeta summa cum diligentia id efficere, ne verborum sonus cum versus accentu nimium discrepet; sed Ludwichium et reliquos, qui de hac re scripserunt, quia non respiciebant, verbumne an nomen esset in exitu, fugit maximum esse discrimen in clausula inter nomen et verbum. Utrumque certe accentum non habet in antepaenultima; sed cum nomina et paroxytona vel properispomena et oxytona vel perispomena esse possint, nulla verbalis forma habet accentum in ultima syllaba. Omnia igitur verba (participia in nominum modum usurpantur) sunt paroxytona aut properispomena; paroxytona longas habere ultimas vel ex eo sequitur, quod trochaicae verborum terminationes, ut Struvius demonstravit, omnino non admissae sunt in clausula; properispomena autem desinant in *ui* vel *oui* (terminationes infin. praesentis verborum in *μi*, vel 3 pers. ind. praes. et fut. med., vel infin. aor. I act. et aor. pass.) necesse est; nam formae ut *εἶλκε*, quod Henricus Tiedke (quaest. Nonn. specim. p. 47 adn.) Metab. A 119, legi iubet, non occurrunt in exitu.

Praeter *ἔσμεν*, quod legimus in Metab. 10, 106 Scheindl. (in evangelio ipso *ἐν ἔσμεν*), unum tantum verbum accentum in ultima habens saepius invenitur idque certa causa excusatur. Compluribus enim locis (Dionys. 4, 111. 29, 120. 30, 20. 34, 79. 35, 46. 40, 338. 42, 195. 44, 167. 47, 286) legimus *εἰ θεμις εἰπεῖν*. Quae verba utrum Nonnus ex suae aetatis sermone (non occurrunt nisi in dialogis) an ex alio poeta (primum inveniuntur apud Sophoclem in Antig. 1259) sumpserit, nihil refert, infinitivus *εἰπεῖν* non minus excusatur quam *θαῦμα* (cum *a* immobili) in formula illa *ἃ μέγα θαῦμα* Dionys. 2, 226. 4, 54 etc.; vide Struv. p. 22.

Imitatores Nonni raro ab hac lege recedunt, Musaeum (qui unam habet trochaicam formam, v. 71 *ἀλᾶτο*) praebere nullum verbum, quod oxytonon sit, non mirum est; Colluthus, quamquam tres formas habet, quae accentum in antepaenultima habent (vv. 65. 120. 229), nunquam recedit; apud Tryphiodorum et proparoxytona saepissime occurrunt (vv. 50. 59. 65. 78 al.) nec perispomena desunt, v. 164 et 525 *εὐρεῖν*; 287 *αἰρεῖ* = Hom. Il. 3, 446);

in Christodori descriptione stat. legimus praeter ἦεν 210 et 328 et ἀλάτω 342 unum oxytonon φασί v. 263; Iulianus Aegyptius (Brunck. anal. II 493) unam formam trochaicam ἦλθεν 46, 1, nullam oxytonam admisit; Paulus Silentarius nunquam, Macedonius (Brunck. anal. III 111) semel (8, 1 εἰ δ' ἐπιθυμῆς) a Nonno recessit.

Iam si quaerimus, quae sit causa huius rei satis memorabilis, meminisse debemus verbales formas, quae sint oxytonae, perpaucas esse; sunt enim nonnullae verborum in *μ*, ut φημί, εἰμί, φαθί al., vel αθῶ αθῆς sim., imperativi aoristi II εἰπέ ἐλάθῃ etc., coniunctivi aor. pass. in θῶ, pleraeque verborum purorum praesentis formae, denique infinitivi aor. II act. ut ἐλάθειν, βαλεῖν; participia huc non pertinent. Quarum formarum permultae ut φαθί, αθῶ, βαλεῖν sim. in exitu hexametri esse non possunt; φημί autem, εἰμί, εἰπέ etc. Nonnus in fine versuum non ponit, quia trochaica sunt; coniunctivum aor. pass., quod sciam, omnino non usurpat, verba pura non contrahit nisi metro coactus, quo fit ut saepissime inveniamus participia in -όμενος (Dionys. 1, 16. 43. 497. 531. 2, 264. 277. 426. 546. 3, 256. 349. 4, 381. 5, 569. 6, 72. 149. 158. 241. 296 al.) vel imperfecta in -ᾶτο, -εῖτο, -οῖτο (Dionys. 1, 194. 204. 2, 76. 245. 3, 320. 6, 236. 7, 329. 12, 184. 23, 7. 29, 183. 35, 211 etc.) desinentia eaque semper contracta, nunquam autem infinitivos in -εῖν aut indicativos in -ῶ -εῖς -εῖ sim. (-έειν 1, 363. -έω 1, 132. 2, 117. 4, 120. 160. -άω 2, 121. -ώω 2, 567. 3, 341. 4, 241. -έεις 1, 427. 474 etc.). Soli igitur restant infinitivi aor. II act. spondiaci ut ἐλάθειν. Huius autem generis infinitivos in Nonno nusquam invenies; omnes qui exstant in Dionys. et in Metab. infinitivi aor. II act. sunt iambici: ἰδεῖν Dionys. 1, 332. 2, 230. 4, 19. 5, 394. 479. 7, 144. 217. 221. 11, 466. 13, 243. 15, 21. 16, 257. 18, 7. 22, 58. 23, 73. 24, 293. 31, 266. 37, 293. 39, 261. 324 (εἰσδεῖν). 40, 300. 42, 64. 341. 43, 256. 358. 44, 58. 45, 165. 46, 124 Metab. 1, 207. 3, 18. 24. 10, 145. 12, 88. λυπεῖν D. 1, 533. βαλεῖν 2, 435. 452. 7, 183. 21, 83. 22, 308. 28, 257. 29, 124. 30, 309. 34, 318. 40, 40. 45, 234. 46, 287. 47, 69. μολεῖν D. 3, 437. 7, 238. 11, 409. 25, 426. 31, 112. 33, 107. 44, 297. M. 1, 81. 4, 124. 6, 57. 59. 213. 8, 42. 173. 9, 62. 11, 30. 13, 1. 14, 22. 53. τεκεῖν D. 4, 239. 5, 141. μαθειν D. 5, 291. 46, 81. M. 14, 18. πιεῖν D. 6, 30. 16, 364. 385. 17, 73. 18, 126. 19, 133. 22, 81. 128. M. 4, 29. 45, 71. θανεῖν D. 7, 364. 30, 132. 40, 149. 44, 274. M. 8, 45. 11, 204. 210. 18, 67. 156. 19, 36. φρυγεῖν D. 10, 109. 21, 58. 23, 38. 29, 118. 30, 130. 48, 537. M. 8, 161. πεσεῖν D. 18, 120. 131. τυχεῖν M. 3, 136. 7, 150. ἐλεῖν M. 3, 138. 6, 80. 10, 67. 12, 48. φαγεῖν M. 4, 154. 18, 67. πορεῖν M. 6, 228. ταμειν M. 13, 154. Nonnunquam metri causa -εῖν in -έειν distractum est: D. 14, 428 πιέειν, D. 22, 308 et M. 4, 223 θανέειν, D. 35, 202 et 47, 313 εἰσδέειν, M. 8, 100 κτανέειν. Inter imitatores solus Tryphiodorus a Nonno recedit bis (vv. 164 et 225) praebens εὔρεῖν; Musaeus, Paulus Silent., Iohannes Gaz. nullum habent infinitivum spondiacum. Causam cur Nonnus huiuscemodi infinitivos prorsus neglexerit nullam video; putabis fortasse non

usurpatos esse, quia spondiaci sint; hoc si maximum illorum iambicorum numerum respicis, verisimile videtur, sed non est rectum. Quamquam enim spondiacae formae nec praeter sextum ullum pedem totum explent nisi primum (cf. Hilberg 'Princip der Silbenwägung' p. 168) neque ita, ut thesin sequentisque pedis arsin comprehendant, saepe ponuntur (in Dionysiacis circiter centies quinquagies; vide etiam Ludwich, Mus. Rhen. 1880 p. 512 sq.), tamen nullum earum genus invenimus, quod prorsus omissum sit.

Unum habeo, quod addam. Praeter infinitivos *ἐλθεῖν*, *εὐρεῖν*, *εἰπεῖν* etiam participia *ἐλθών*, *εὐρών*, *εἰπών* nusquam in Nonni carminibus indagare poteris, exceptis formula homerica ὡς *εἰπών*, quam legimus D. 1, 408. 2, 699. 4, 1. 8, 1. 9, 92. 135. 11, 43. 313. 16, 144. 17, 81. 192. 287. 18, 42. 306. 19, 57. 196. 20, 325. 394. 21, 272. 23, 104. 192. 24, 170. 25, 368. 28, 150. 29, 68. 32, 76. 221. 34, 297. 35, 78. 155. 314. 36, 133. 470. 37, 224. 38, 267. 89, 1. 123. 171. 40, 61. 353. 42, 274. 43, 192. 46, 97. 47, 607. 654. 728. 48, 617. 887. M. 7, 34 (ὡς ὁ μὲν εἰπών) tum *ἐλθών* M. 11, 60. 12, 133. 16, 28 et *εὐρών* M. 1, 178. Obliqui quoque casus rarissimi sunt: Dion. 7, 108 *εἰπόντε*, M. 6, 100. 103 *εὐρόντες*. Cuius usus qualiscunque est causa, a Nonno ipso inventus vel primum observatus esse nullo modo censendus erit, nam Quintus Smyrnaeus quoque cum saepissime infinitivos iambicos in *-εῖν* (*-εῖν*) desinentes praebet, infinitivis *ἐλθεῖν*, *εἰπεῖν*, *εὐρεῖν* nusquam utitur, semper exeuntibus in *-έμεν* (quos Nonnus non habet): Posthom. 1, 173. 442. 646. 2, 274. 300. 302. 432. 3, 15. 5, 33. 200. 6, 453. 9, 243 vel in *-έμεναι*, 3, 183. 257. 503. 4, 313. 5, 192. 210. 6, 271. 8, 149. 9, 329. 11, 2. 12, 23. 14, 469. 645.